

ne quis vos decipiat, seducens in aliquem errorem per Philosophiam terrenam, quæ argumentis & subtilitate componitur: & fallit dum verisimilibus causis & commentitiis rebus nihil tam verum æstimatur, quam quod conspicitur in elementis. Et paulò post. Vel cavete, ne quis vos decipiat per Philosophiam, id est, per philosophicam interpretationem idolorum, & per inanem, id est, ab omni utilitate, & omni veritate vacuam fallaciam talium dictorum, quæ est secundum traditionum hominum, id est, quasi sapientum, qui quasi prudentius idola exponunt secundum elementa mundi, &c. Similiter etiam Thomas de Vio Cajetanus hōc locō. Philosophiæ adjungit-inanem fallaciam, quantum ad officium prædandi homines à fide Christianā, quia non veritatis Philosophiæ est officium prædari Christianos, nisi ei adjungatur fallacia. Quæ quia duplisper adjungitur Philosophiæ, ideo subjungit, Secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi. Aut enim inanis fallacia jungitur Philosophiæ ex traditione hominum, putà ex sc̄lā Stoicorum, vel Peripateticorum, & bujusmodi. Aut ex elementis mundi, hoc est, ex metiri & judicare ea, quæ sunt Christianæ fidei secundum elementa mundi, hoc est, causas cœlestes & elementares, & compositorum ex his: hoc enim est inanis fallaciæ, pro quantō judicium quod ex bujusmodi causis haberi potest, non se extendit ad excelsa Christi mysteria, quæ fide tenemus. Præter hos videantur And. Hyperius, Bened. Are-tius, August. Marloratus, Guiljelm. Estius, Joh. Piscator, & Nicol. Hem-mingius, hōc locō, qui postremus, cùm per omnes sc̄læ Philosophiæ partes discurrisset, earumque utilitatem ac laudem celebrasset, sic tandem concludit. Cùm igitur omnes partes Philosophiæ sint utiles & eximia Dei dona, sacrilegii genus est Philosophiam in universum damnare. Atque hanc fuisse Apostoli mentem confirmat subsequens exegesis, addit enim inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, hoc est, secundum humanam sapientiam ab hominibus animalibus traditam, & secundum opiniones de elementis & principiis rerum naturalium, quæ tum temporis plurimæ & diversæ Græcos Philosophos invaserant: & non secundum Chri-stum, qui veritas & vera Deisapientia est. Hinc superioribus subnectit Cal-vinus. Quod proximè sequitur de inani deceptione, sic resolvo; cavete à Philosophiâ, quæ nihil aliud est, quam inanis deceptio; ut sit hoc additum appositivè. Et per κίνητα διάταξις declarare Apostolum, quid vocabulō Philosophiæ intelligat, dicit in hunc locum Joh. Piscator. Particula itaque & non habebit vim con-junctionis copulativæ, sed interpretativæ sive: & prius declarabitur per posterius, quasi haberetur, per Philosophiam, sive inanem deceptionem. Sen-sus ergo est (sunt verba Kekkermannii Præcogn. Philosoph. lib. I. cap. 4.) Cavete ab inanibus deceptionibus, & figmentis variarum opinionum, quæ ab hominibus gerentibus titulum Philosophorum, nomine Philosophiæ venditantur.

Dehor-